



## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

41 Sit modus ingressu, cunctis, verboq[ue] ciboq[ue].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

sed homo locum; non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos. Qui a bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa; qui male sederit, injuriam facit cathedrae; ideoque malis sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedens, si quidem bene vixeris, & bene docueris, omnium iudex es, si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator eris. b Nam bene vivendo & bene docendo, populum instruis, quomodo debeat vivere: bene autem docendo, & male vivendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare. Idem c. ¶ Quicumque desideravit d primatum in terra, inveniet confusionem in caelo, nec i Inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit, nec unusquisque eorum festinet, quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur; quoniam non qui major fuerit in honore, ille est iustior: sed qui fuerit iustior, ille major. Conversatio ergo melior est desideranda, non dignior gradus.

¶ Nec inter ] In loco indicato legitur, ut inter servos Christi non sit de primatu certamen, nec unusquisque; &c. Sed obstitit glossa, ne mutaretur.

DISTINCTIO XLI.

¶ **E**cce quibus oportet sacerdotem esse ornatum moribus. Sed praeterea oportet illum esse ornatum in exterioribus, habitu videlicet & inessu: habitu, ut nec fulgidus, nec sordidus se vestibus ornent. Ut enim ait Hieronymus, i nec affectata sordides; nec exquisita delicia laedem parvum, quod iam de vestibus, quam de cibi intelligendum est.

¶ Hieronymus ] Ad Eustochium de custodia virg. sic scribit, nec affectata sordides, nec exquisita munditia conveniunt Christiano. Ad Nepotianum quoque in eandem fore sententiam, vestes pullas aequae devita ut candidas, ornatus ut sordides pari modo fugienda sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redoleret.

C. I. ¶ Per vestibus eorum, cum quibus vivimus, etiam uti debemus alimentis. Unde Augustinus ait lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10.

¶ **Q**uisquis e rebus praetereuntibus restrictus utitur, quam se habent mores eorum, cum quibus vivit, aut imperans i, aut superfluous est. Quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum, inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. ¶ Quid igitur loeis, & temporibus, & personis conveniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendantur. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem foetissima gula flamma in vilissimum olus ardeat, & famius f. quisque maluerit, more Domini e. pisce vesci, quam lenticula, more Esau h nepotis Abraham, aut ordeo, more iumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt plebaeque bestia, quia vilioribus alimentis vescis. Nam in omnibus huiusmodi rebus non ex eorum rerum natura, quibus utimur, sed ex causa utendi, & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum, quod facimus.

¶ Intemperans ] Apud sanctum August. & Ivenem legitur: temperans. Sed ob glossam non est mutatum.

C. II. ¶ Non cibum, sed appetitum in culpa est. Idem super epistolam Iovanni.

¶ **D**elicis quilibet, si absque desiderio percipiantur, non officiant: & viles cibi appetenter accepti, im-

pediunt profectum abstinentiae. David a enim aquam male concupitam, effudit: & Helias b carnes comedit. ¶ In operibus beati Augustini, aut impressis, aut manuscriptis, qua habitus ad manus venerunt, haec non sunt inventa. Ceterum apud Prosperum de vita contemplativa, l. 2. cap. 12. eadem fere leguntur: Nec delicis quilibet, si absque desiderio percipiantur, officiant: & viles cibi plerumque abstinentiae profectum, si appetenter accipiantur, impediunt. Hinc est, quod sanctus David aqua in se concupiscentiam castigavit; atque eam sibi a suis oblatam, ne desiderio suo ex ea satisfacere videretur, effudit: & sancto Helix perceptio carniarum non concupita, non nocuit.

C. III. ¶ Contra sua infirmitatis consuetudinem, aliquibus cibis ac vites uti non cogantur. Idem de verbu Dom. n. secundum Matthaeum, serm. 5. c.

¶ **N**on cogantur divites pauperum cibis vesci: utantur consuetudine infirmitatis suae, sed doleant aliter se non posse: si consuetudinem mutant, aegrotant. Utantur superfluis, dent inopibus necessaria: utantur pretiosis, dent pauperibus vilia.

C. IIII. ¶ Aequanimitas tolerandi, non usus vel abstinentia cibis iustitiam facit. Idem lib. 2. quast. Evang. c. 11.

¶ **Q**uod d dicit Dominus in Evangelio e, [Iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.] offendit filios sapientiae intelligere, nec in abstinentio, nec in manducando esse iustitiam, sed in aequanimitate tolerandi inopiam, & in temperantia per abundantiam non se corrumpendi, atque oportune sumendi, vel non sumendi ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino, quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas, in generibus alimentorum his, cum quibus tibi vivendum est. Neque quantum sumas, interest multum: cum videamus aliorum stomachum citius saturari; & eos tamen illi ipsi parvo, quo satiantur, ardent, & intolerabiliter, & omnino turpiter inhiant: alios autem plusculo quidem satiari, sed tolerabilius inopiam perpeti, & vel ante ora positas epulas, si id in tempore opus sit, cum tranquillitate aspicere, neque tangere. Magis ergo interest, non quid, vel quantum alimentorum pro congruentia hominum, atque personarum suarum, & pro suarum valetudinis necessitate quis capiat, sed quanta facilitate, & serenitate animi careat, cum his vel oportet, vel necesse est carere. ut illud in animo Christiani compleatur, quod Apostolus f dicit. Scio & nimis habere: scio & abundare: ubique & in omnibus imbutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat.

C. V. ¶ Temperantia ciborum & vestium, non dissolutio eorum laudatur. Item ex concilio Gangrensi, c. ultimo.

¶ **P**arsimoniam g cum veste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum praeter corporis i diligentiam infucatum laudamus. Dissolutos autem, & fractos in vestibus inessus non recipimus: & domos Dei honoramus & conventus, qui in his fiunt, tanquam sanctos, & utiles recipimus: pietatem in privatis domibus non concludentes, sed omnem locum in nomine Dei edificatum honorantes: & congregationem in ecclesia factam ad utilitatem communem recipimus, & bona

a 2. Regum 23. b 3. Regum 17. c ad illa verba. [propterea, & dabitur vobis.] sed paulo aliter. d Ivo part. 4. cap. 23. e Matth. 11. & Luc. 7. f Philip. 4. g Ivo part. 1. cap. 221.

si a tuo

udentia tempore episcopio, mtorie, um mibil esse aboio: diaconi milite. si mo i, & co merito nem nec leretur,

cit ma. perficit faciunt unt epi. quod ci. iter fer.

radifum t adverte. ture u. extra pa. lio in. aradifio

nam fal. quoque in ipla. Sed ista m para. omo ex

ieictus nobili.

heer. em loca. muste.

ulti no. o sede. dorem, minem,

6. 114. Gen. 19.

sed



opera, quæ supra vires 2 in fratres pauperes, exercentur, secundum ecclesiasticas traditiones benificamus: & omnia, quæ conveniunt traditionibus Apostolicis, & sanctarum scripturarum præceptis, in ecclesia fieri exoptamus.

1 ¶ Præter corporis] Est ex prisca versione. Græcè est, ἡ ἐπιμελεια τῶν ὀστέων ἀπελευθερωθῆναι, id est, propter corporis tantum curam minime supervacaneam atq; operosam: sed ob glossam non est mutatum.

2 ¶ Supra vires] In prisca illa versione est: juxta vires. Dionysiana habet, ut Grat. Græcè autem: τὸς ἰσθ' ἕως ἑσθ' ἑσθ' εὐπρεπῶς τῶν ἀδελφῶν τὰς καὶ τὰς πικροδόξους, αἰσθ' τὸς ἐκκλησίας ἐς τὸς πλοῦτος ἀνομιῶν, id est, eximias atque excellentes fratrum beneficentias, quæ secundum traditiones per ecclesiam in pauperes fiunt.

C. VI. ¶ Sub specie virtutis sape se vitia ingerunt.

Item Gregorius Ioanni Constantinopolitano, lib. 1. reg. epist. 24.

Sæpe se vitia esse virtutes mentiuntur, ut tenacitas, parsimonia; effusio, largitas; crudelitas, zelus iustitiæ; remissio, pietas velit videri.

C. VII. ¶ Meritis fidei, & vite, non de virtutis, episcopalis auctoritas quaritur.

Item ex concilio Carthagenensi 4. c. 15.

Episcopus vilem suspellibilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, fide, & vite meritis quarat. ¶ Hospitium, a quoq; non longè ab ecclesia habeat.

C. VIII. ¶ Decodem.

Item ex eodem, c. 45.

Clericus b professionem suam & habitu, & incessu prober: & ideo nec vestibus, nec calceamentis decorem quarat.

Sicut ergo in cibis mores eorum, cum quibus vicimus, observare nememus, sic & de indumentis intelligendum est. Ut enim alibi e dicitur, [Quisquis contemptus his, cum quibus vivit, laetiora sibi, vel austeriora pro ceteris indumenta, vel alimenta quarit, aut intemperanti sui, aut superstitiosus est.] In incessu autem debet esse sacerdos ornatus, ut gravitate itineris, mentis maturitatem ostendat. Incompositio enim corporis (ut Augustinus d ait) inæqualitatem indicat mentis. Vide historiographus e ille cum ejus mutabilitatem describeret, cuius conscientia exorta f curi mentem vastabat, g inter cetera hoc etiam notabile iudicavit, dicens, [Citius modo tardus incessus.]

DISTINCTIO XLII.

Hospitalem verò sacerdotem esse oportet, ne sit in numero eorum quibus in iudicio dicitur, [Hospes heram, & non suscepisti me.] Quis enim Apostolum factus alius ad hospitalitatem debet invitare, quomodo hospitalitatis exhortator poterit esse, qui domum propriam hospitibus claudit? Si enim sacerdos primus a seipso, & à domestica ecclesia sua debet exigere, quod postea populo imperet, si primum imitando Christum, ipse debet facere, qui postea populum doceat, necesse est, ut pauperes hospitio recipiat, quod ad hospitalitatem facilius suo exemplo subditos attrahat. ¶ Ordinandus itaque sacerdos ad memoriam revocet, quomodo Abraham i, & Loth per hospitalitatis opera, Deus placuit, & Angelus hospitio meruerunt recipere, quomodo Angeli Sodomis hospitalem domum ingressi Loth cum familia sua liberaverunt, quomodo clausus domus cum hospitibus, ignis im-

a Ibid. cap. 14. b Burch. lib. 2. cap. 109. Ivo part. 6. cap. 214. Anst. l. 7. c. 202. c Supra ea. c. quisquis. d epist. 109. ad Monachos habetur. e Salust. de Catilina. f ad excitatam, al. excitatam. g al. vexabat. h Matth. 25. i Genes. 18. & 19. Gl. ord. Gen. 19. ex Alcuino.

ingressu perdidit, quomodo etiam secundum Hieronymum a, aliena rapere convicitur, qui ultra necessaria sibi retinere probatur: ac si per opera pietatis se instruat, ut & presentia vita subsidia, & æterna claritatis premia à Deo percipiat; utrumque enim pietati promittitur. ¶ Unde Apostolus scribens ad Timotheum b ait, [Exerce temetipsum ad pietatem. Nam corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem est utilis ad omnia, habens promissionem vite, quæ nunc est, & futura.] Ab hac quisquis alienus fuerit, in sacerdotem ordinari non poterit. ¶ Si enim vidua c in ecclesia recipi prohibetur, quæ pauperes non recipit hospitio, quæ pedes sanctorum non lavit, quæ omne opus bonum non est execututa, multo magis sunt prohibendi à sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni. Unde d hospitalitatis opera deficientes, in Gangrensi concilio excommunicantur. Sic enim in eo statutum est, c. 11.

C. I. ¶ Non sunt deficientes, qui convivia pauperibus exhibent.

Si quis despicit eos, qui fideliter agapas, id est, convivia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei convocant fratres, & noluerit communicare huiusmodi vacationibus, parvipendens quod geritur, anathema sit.

Hinc etiam Ioannes Evangelista in epistola sua quendam Diotrephem excommunicat, qui nec pauperes recipiat, & recipientes de ecclesia eiecit. In hospitalitate autem non est habendus delectus personarum, sed indifferenter quibuscumque sufficiens, hospitalitas nos exhibere debemus.

C. II. ¶ In recipiendi hospitibus nulla debet esse distinctio.

Unde Ioannes Chryostomus in epist. ad Hebræos, hom. 11. c. 6.

2 ¶ Viescamus ab hac absurda curiositate, & diabolica & peremptoria. ¶ Si enim in clero se electum esse dicat, si sacerdotem se nominet, scrutare: non enim sine periculo in talibus indidicula communicatio est: circa majora periculo vertitur, non enim das, sed accipis. Siverò pro nutrimento postulat, nihil in his examines. Inquire, quomodo Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat. Si scrutator fuisset circa refugientes ad se, nunquam Angelos hospitio recepisset. Fortassis enim non putans eos Angelos esse, cum reliquis & hos repulisset: Sed quoniam omnes recipiebat, suscepit & Angelos. Non enim ex vita eorum, quos accipis, mercedem tibi retribuitur est Deus, sed ex voluntate tua, ex liberalitate, ex honorificentia multa, et misericordia, ex bonitate.

Sed licet ipsa convivia deficientia non sint, non tamen in ecclesiis celebrari, nec clericos ad ea convocatos ex eis partes sibi volere oportet.

C. III. ¶ Clerici ad agapem vocati partes sibi non tollant.

Unde in Laodicensi concilio, c. 27.

Non oportet ministros altaris vel quoslibet clericos i ad agapem vocatos, partes tollere propter injuriam, quæ ex hac occasione ecclesiastico ordini possit deputari.

1 ¶ Clericos] In concilio Græco, & prisca etiam versio additur, vel laicos.

2 ¶ Propter injuriam] Græcè est: ὡς τὸ τῶν ὀστέων τῆς πόλεως ἐσθ' τῆς ἐκκλησίας, id est, eò quod ecclesiastico ordini inuratur contumelia.

C. IIII. ¶ In locis Deo sacratis, nec comedere, nec accubitus sternere liceat.

a In regula Monachorum, c. de paupertate. b 1. Timoth. 4. c. 1. Tim. 5. 31. g. 1. quomodo. d al. Unde quidam, e Burch. lib. 29. cap. 124. Ivo p. 15. cap. 136. Anst. l. 5. c. 76. f al. perniciosus. g Anst. l. 5. c. 77. Ivo p. 3. c. 138.

